



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio LXXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

CONCLUSIO LXXXII.

Cur papa non euacuat purgatoriū, propter sanctissimam charitatem, & summā animarū necessitatem, ut causam oīm iustissimā, si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam, ad structuram basilicæ, ut causam leuissimam.

HANC quæstionem non papa, sed quæstores excitant, quia ut supra dixi, nusq̃ legitur summi pontificis super hac re ullū decretum, ideo respondeant illi ad eam, qui suscitauerunt. Ego ad omnes istas quæstiones uno uerbo responderim, quantum pro pontificū honore fieri potest, uidelicet, q̃d nemo eos informat rei ueritatē, & frequenter fit, ut male narrātibus, male cōcedant.

CONCLUSIO LXXXIII.

Cur permanent exequiæ & anniuersaria defunctorum, & non reddit, aut recipi permittit beneficia, pro illis instituta, cum sit iam iniuria pro redemptis orare.

MULTOS scio ista quæstione fatigatos mecū, & multis euasationibus frustra a nobis laboratū, diximus etiam, si euolarent animæ, tum officia instituta pro illis, iā in laudē dei cederent, sicut fit, dū pueri & infantes decedunt. Alius aliter, sed nullus fecit satis. Tandē cœpi disputare, & negare illoꝝ sermones esse ueros ut uel sic elicerē tandē a doctioribus, q̃d hic respondendū foret.

CONCLUSIO LXXXIIII.

Quæ illa noua pietas dei & Papæ, quod impio & inimico, propter pecuniam cōcedunt, animam piā & amicam dei redimere, & tamen propter necessitatem ipsiusmet piæ ac dilectæ animæ, non redimunt eam gratuita charitate.

CONCLUSIO LXXXV.

Cur canones poenitentiales re ipsa & non usu, iam diu in semet mortui, & abrogati, adhuc tamen pecunijs redimuntur, per concessionem indulgentiarum, tanq̃ uiuacissimi.

CONCLUSIO LXXXVI.

Cur Papa, cuius hodie sunt opes opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecunijs magis, quam pauperum sic